





DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA,  
DE  
**MELICERIA**  
**CELSI,**

15

1717, 3

Bon  
**BLESSUS-MASSON/**

Quam  
SUPREMO ARCHIATRO SECUNDANTE,  
ex Suffragio  
*MAGNIFICI, AMPLISSIMIq; SENATUS ACADEMICI,*

**PRO LOCO**

PROFESSIONIS MEDICAE GRATIOSISSIME OBENTAE  
**EXTRAORDINARIO,**

Publicae modestaque Dissentientium Censurae committit

**IN ACADEMIA BORUSSORUM REGIA**

A. C. M DCC XVII. D. SEPTEMB.

**CHRISTIANUS LUDOVICUS**  
**CHARISIUS, D.**

*RESPONDENTE*

**CHRISTOPHORO DANIELE MELTZER,**  
Mednav. Boruss. Med. Studioſo.

---

**REGIO MONTI, LITERIS REUSNERIANIS.**  
Cetiugianus Ithodavicus Capillius

AUGUSTO PATRIAE PATRI,  
PRINCIPI INCOMPARABILI,  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE DOMINO,  
DOMINO  
**FRIDERICO**  
WILHELMO,  
BORUSSIAE REGI,  
MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
S.R.I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,  
SUPREMO ARAUSIONensi, NEOCOMensi ET VALLAN-  
GINensi PRINCIPI,  
MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE, MONTium,  
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDA-  
LORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNAE  
D U C I,  
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,  
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE, CAMINI,  
VANDALIAE, SVERINI, RACEBURGI & MEURSAE,  
COMITI HOHENZOLLERIAE, RUPINI, MARCAE,  
RAVENSBERGAE, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,  
LINGAE, SVERINI, BURAE & LEFRDAMI,  
MARCHIONI VEHRAE & VLissingae,  
DYNASTAE RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIAE,  
LAUENBURGI, BUTOVIAE, ARLAIAE AC BREDAE, &c. &c. &c.  
**REGI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,**  
**LITTERARUM STATORI MUNIFICENTISSIMO,**

Hoc pro Loco qualemque editum Specimen, in  
perpetuum devotissimae gratitudinis monu-  
mentum sacrum cupit

*servorum subje<sup>t</sup>iffissim*

Christianus Ludovicus Charisius.

Disputatio Chirurgico-Medica  
J. D. O. M.  
DE  
MELICERIA CELSI,  
Vom  
Blied = Rasser.



LIAD EM cano , fateor , post HO-  
MERUM , dum praesens de MELL-  
CERIA elaboratum Specimen , LE-  
CTOR BENE VOLE , aequo tuo  
expono judicio . Quem enim latet .  
constans olim ac assidua opera , quam  
notissimus HILDANUS in evol-  
vendo hocce affectu sedulo semper  
locavit , ita ut eundem peculiari Tra-  
ctatu de Ichore & Meliceria acri , à capite ad calcem abunde  
exposuerit . Taceo alias ac lubens praetereo Viros Celebrati-  
ssimos , inq ; arte Machaonia fama doctrinæ atq ; eruditio-  
nis perpetuos , qui eidem ex asse delineando , aliquot Dissertationib-  
us editis non semel desudarunt . Ast nihilosecius  
capillata fronte , ut ajunt , occasionem hac de scribendi ma-  
teria lubens arripui , probè perpendens , quod in difficultibus  
errare ob imbecillem humanitatem facillimum sit , ac quan-  
doque in gravibus , optimus dormitet Homerus . Quam  
obrem Thēma selectum , judicii ac mentis lance curatius

A

etiam

etiam atque etiam trutinavi, manifestè autem deprehendi, quod scripta haec edita, non in omnibus rem acusatis satisque tetigerint. Operae hinc pretium judico, acta denuo agere, inque quo consistat Ortus ac causa morbi, signa insuper atque curatio illius, pro ingenii modulo detegere adhucdum allaboro. Faxit DIVINA CLEMENTIA, ut cedat secuturus labor Sacratissimo Archiatro glriosus, TIBI autem L. B. si non in totum, tamen in tantum commodus, ut profundi hujus affectus inviolabilis veritas magis magisque appareat, sic nunquam quid, aut quantulum hisce pagellis scripserim, me poenitebit. Vale & Fave.

## §. I.

**I**Ta profecto est, ut primarius Artis salutaris finis, SANITAS, qua nil prius post animac salutem, miseris concessa mortalibus, nulla unquam verborum pompa, sed dextra remediorum praescriptione, horumque propinazione fortunato obtineatur. Verosimillimum interim quivis nobiscum fatebitur, ut cortex removendus sit, antequam medullam inspicere liceat. Hinc non abs re fore autumamus, si brevibus, nomen vocisque derivationem tractandi affectus in antecessum perspiciamus, donec essentiam & causam morbi, methodicè delibare satagamus.

## §. II.

Servato itaque nomine à CELSO olim malum praefens indigitato, id ipsum MELICERIAM nuncupatur sumus. Meliceria autem uti solo significatu, natales suos commodè mutuare videtur ex idiomate Graeco, ita facile insuper liquet, ut perspecta illius derivatione, locutio à Simili aut Metaphoricus sermo, huic haud inconvenienter sub-

subdit. Primo etenim componitur à verbo graeco μέλι, quod mel, & μέλος, quod Latinis favus audit. Deinde sua sponte patet, quod, sicuti in apum cellulis, mel secernitur, ita affectus noster has ipsas acmuletur, praeprimis ubi huic junctus est tumor, hic enim poros cutis cellularum instar minorum distendit, ex quibus humor glutinosior, hicque melli quandoque haud absimilis, copiosè foras eliminatur.

§. III. Job. orp. om. om. om. om.

Autorem, uti dictum, nominis Meliceriae cum aliis, venditamus CELSUM, Medicorum CICERONEM vocatum, quandoquidem referente Celeberrimo D. SCELHAMMERO, in Epist. Dissert. de *Lymphae ortu & Lymphaticorum causis*, hic primus Veterum olim extiterit, qui posteritati profluviū hocce serofum, manifestare conatus est. PARACELSUS, in *Chirurg. Maj.* affectum huncce vocavit SYNOVIAM, HILDANUS autem, HYDARTHRO, item ICHOREM & HYDROPEM ARTICULORUM in *Libr. de Tbere & Meliceria acri*, hinc inde salutavit. Germanis appellari sivevit, das Glied-Wasser.

§. IV. Job. orp. om. om. om. om.

Contingit autem non raro, ut vocabulo Ichoris, Synoviac, aliorumq; Autores multum in significatu ab affectu nostro alieno uisos suisse, facile reperiamus. Sic quidam Ichorem atque Synoviani accipiunt pro humore naturaliter inexistenti, prove nutrimento, parti inesse, debito. Autumantes videlicet, quod non ad esse solum, sed & ad bene esse atq; prōdēsse, latex hic symbolum conferat suam. Sunitur porro à quibuscum pro liquore ex vulneribus ulceribusque quibusvis prōmanante, quandoquidem profluviū seri & hic sese satis exserit. Ast missis modo iinitis, Ichorem Synoviamque hic intellectam volumus ex Meliceria prōvenientem,

6 DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA,

tem, i.e. in singulariori significatione sumptam, qua ex articulis fauciatis ulceratise faboriri frequenter conspicitur.

§. V.

Pro inhibenda itaque vocis omni peregrina acceptione, malum à nobis perpendendum sequenti descriptione exhibemus: MELICERIA est praeter naturale ex laesis articulis & praeprimis ex genibus copiosum seri profluviū, cum intensissimo immanique dolore, intumescentia ac inflammatione partis affectae, febre, atrophia, ceteris symptomatibus stipatum, à lymphae acrimonia, & vasorum lymphaticorum venas atque arterias comitantium, suborta erosione, ortum ducens.

§. VI.

Sic flebili mali morboſi adumbrata facie, ut intimiora quoque inspiciamus, sedi illius principaliori ac subiecto genuino, defudandum paulisper ducimur. Atque ex data descriptione, in aprico est, quod hoc ipsum radicaliter existat in fero sanguinis seu lympha in vasis secreta; Denominationis autem subiectum, ubinam artus circiter, sive illi sint majores, sive etiam minores, eorumque articulos, propriè haereat, pluribus dispiciemus. Profluviū etenim seri hic consideratu sistimus, non quatenus Lymphæ destillationibus in variis Corporis humani affectibus haud abſimile existit, sed quatenus ſolum, ac in ſpecie de articulis idem accipitur.

§. VII.

Notissimum autem eft, quam longè Autores etiam Celebratissimi nominis, in ponendo ac determinando subiecto & ſede palmaria, ex quanam videlicet circa articulos partium, copiosum hocce defluviū ferofac materiae promana-re valeat? Affatim inter ſe diſcrepent. Per autopsiam quippe ana-

anatomicam ultro patet, quod in pertractandis per Diarthrosin connexis articulis, variae manifestè perhibeantur partes. Sic facile cernimus praeter cutim, musculos ac tendines, ligamenta & nervos, glandulas recenter detectas, arterias, venas hisque juncta vasa lymphatica.

§. VIII.

Ex hisce modo enumeratis, principaliores saltem consideraturi sumus partes, exque harum quibusdam, veluti è tabernaculis, morbos nostri affectus extrahendae origini, operam studiosè daturi. Quas inter in antecessum lustrare placet ipsos articulos. Ac dum physiologicam in considerationem eosdem vocamus, fatis experiundo cognoscimus, quod sicuti ossa omnia & singula in universum spectata, ita hi itidem tenuissima exilissimaye membrana investiantur, quam Periostium Anatomici appellant. Quandoquidem autem dicta haec pellicula ex subtilissimis minimisve fibrillis contexta, & staminibus inseparabilibus coagmentata est, inficiandum non est, quod his ipsis succus quidam contineatur atque circuletur. De eo nunc, num priam exhibeat ansam profluvi nostri eruptioni, id perperam quendam affirmaturum autumnamus; Quum, praeter huic haud aequiparandam promanantis fluidi copiam, cetera accidentia, ut sunt varietas coloris, consistentia, &c. Periostii humido attributu impossibilia, penitus inspicienda quis sibi curae habuerit. Cavitatem ulterius, si articulorum species, verum quidem est, quod humor ibidem reperiatur, qui lubrica ossa servat, illave pro motu excipiendo, aptiora reddit. Fundunt namque hunc ipsum sagaci industria CLOPTONIS HAVERI in Osteolog nov. glandulae detectae mucilaginosae in cavitate articulorum existentes, in quibus ex fonte omnis limpidi Ma. puta Sgnea secretus, exque his, in cavitatem

A 3

hanic

hanc propullulatus latex. Verum eadem difficultas, quae paulo ante, hic quoq; obtinet, siquidem non una suboritur Meliceria, in qua intactae relinqvuntur hæc glandulae, cui supervenit exigua satis quantitas mucilaginis, in his, contentæ.

## §. IX.

Videamus adeoq; nervos, in his ut poneret ortum Meliceriae, se quondam exhibuit Coryphaeum CELSUS, ille etenim lib. V. de Medic. malum nostrum descriptum proponit, quod MELICERIA sit sanies, quae ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos laesi sunt & inter haec loca, maxime ex genibus exeat. Quem autem latet densissima nervorum substantia, ita ut passim in iisdem nulla comparat cavitas, quam tamè liquor abundanter effluens, necessario sibi apposcit. Neutquam praeterea credendum nobis persuademus, quod nervi succum notabilem in se continant, illumque talis indolis, ut in substantiam sensibilem mutari queat. Täbulo si omnino sunt nervi, adeoque conservationi hujus vel illius humoris eosdem dicatos judicamus; ast mox sensum effugit subtilis cavitas canaliculorum horum, quare neutquam à nobis impetrare possumus, quin minimè humidum quoddam copiosum, rotve alterationis generibus subditum fundere valeant, sed habitacula potius existunt spirituum subtilissimorum, in foro medico sic dictorum animalium, queis ob aptissimam, qua gaudent activitatem, admittandum, idque curiosissimum motus & sensus negotium, nostri modo aevi rationales Medici, luculentemente monstrant.

## §. X.

In Scenam quoque producenda judicamus vasā sanguifera, sub nomine venarum & arteriarum venientia. Utrum ex his, priores, an verò posteriores, pro detegendo deno-

denominationis genuino, subiecto magis in Meliceria faciant, Autores inter prolixè disceptatur fuseque disquiritur. Ita quidam vexillum ducunt pro venis, sydentes firmiter tam abunde ex articulis profluens serum, quod tubuli venosi appertent. Adeunt hunc in finem LOWERUM in Tract. de Cord. NUCKIUM in Scialograph. aliosque, qui corroborandae theses hujus veritati experimentis aliquoties institutis, subvenire conantur. Constringunt nimurum venam cayam filo in thorace cuiuspiam animalis atque exinde paulo post, tantum obseruant feri in cavitate abdominis, ut hoc evidenter ascite laborare affirmares. Idem eyenire porro comperimus in venis jugularibus, vinculo ligatis quas hoc modo comparatas, salivam summa copia in cane concitasse, non semel probatum est. Alii fluxum huncce morbosum trahentes ab arteriis, cetera inter praeprimis serum copiosius, quo scatet arteriosus sanguis pœ venoso allegant, exque hoc suæ sententiae stabile patrocinium afferre contendunt. Sed frustaneus utique utrorumque est labor, non levibus quippe hoc intricatum est atque perplexum ambiguitibus, assertum. Quod enim spectat ad experimenta, haud diffitemur, quod venæ atque arteriae iugatura adstrictæ, ejusmodi effluxum portendant; at intime rem pensitant probè liquet, quod, ubi cum venis atque arteriis vasa lymphatica tanquam has immediatè comitantia, humili haec insuper dum sunt limpidi ipsissima tenacula, serum effusum, ob sui interceptum progressum, protinus ex his & non ex illis scaturiverit. Cum itaque experimenta modo allata, nil certitudinis de inventa morbi sede primaria perhibeant, ac magis multo pro ulteriori hujus investigatione ad vasa lymphatica nos manuducere videantur, inoffenso pede ad eadem rimanda accedimus. Hacc vero non in pa-

parum lucis, indagandae origini vel prima fronte assundere, certum est. Vehunt etenim limpidum, quod profluit solidum, idque maximè abundans deponere ut queant, miraculi expers existit. Sangvis dum perenni suum itu redituq; absolvit iter, plurimum, quod secum fert aquei, ad haec ipsa dimittit, turgida iasuper multi & acris seri repletione vasa efficit, ut non semel accersitam eorundem inde conspicias rupturam. Nullatenus adeoque lis in statuendo Meliceriae denominationis subiecto in suspenso adhuc relinquitur, sed constanter afirmamus, quod vasa lymphatica venis atque arteriis annexa, hoc ipsum evidenter constituant.

### §. XI.

Nec sufficienter refragatur posito nostro modo tradito, quod ex aspectu Meliceriae atque historia ipsius forte res aliter fieri advertatur. Sic putant quidam, quod in Meliceria, vasa quandoque lymphatica farta teatque relinquuntur, adeoque serum observabile exstillans neutiquam suppeditent. Deinde, quod laesioni articulorum ab extra factae non illico ac momentanea succedat fluidi lymphatici eliminatio, sed interjecta post aliquot dies mora, demum provenire cernatur, quam autem sequi necessariò, svadet inevitabilis ipsorum simulfacta dissecatio, aut disruptio, utpote mox sub cute ipsa latere irrefragabilis nos edocet Anatomicorum experientia. Accedit tandem nimia copia paucum intra tempus Ichoris exountis, hujusque glutinosa faepè numero ac diversi coloris consistentia, quum pellucidus potius & diaphanus, vasis modo dictis, infit fluor. Ad haec, ordine recensita facilis est regestio. Dramata quippe, nunquam ludit Meliceria sine vasorum lymphaticorum affectione. Nondum insuper unquam manifestè monstratum est, vasa nominata in Meliceriae malo, parum vel nihil

præ-

praecisa, aut plane illaesa manere; Neque praeterea facit exceptio, de mox necessario omnem laesionem articulorum subsequenti profluvio. Hoc enim in violenta ab extra invasione facta, omnino in procinctu contingit, quamvis ob simul causatam emissionem sanguinis rubicundi, lympham hujusque colorem, superantem, idem observari non licet. Eiusdem farinæ instantia est postrema, nihil evincens, affluxus enim, quo major est ruptura vasorum lymphaticorum, eo intensior subinde existit. Consistentia viscosa, inque hac diversus color, facile etiam defenduntur, dummodo maium consideretur in statu atque augmento suo, sic enim serum ob stasin passam, crassiorē induit sui miscelam, ac dum acrimoniam possidet, vasa simul sanguinea arrodit, hinc aliquid cruenti ex iisdem provenit, inibique extra vasatum una cum reliqua lympha persistens, ceteras summopere quoque afficit partes. Eo consideratu liquido appetet, quod primario etiam atque etiam canales lymphatici, secundario autem Venae & Arteriae, imo tendines & nervi cum sint affecti, & reliqua, suum adaugendo malo adjiciant calculum.

**§. XII.**

Subministrato itaque subiecto Meliceriae tam radicali, quam etiam denominationis, expositione illius physiologica atque anatomica, hac vice evitandæ prolixitatis ergo, libentes supersedebimus. Praeterea probè nobis consciimus, quam inutilis atq; supervacaneus foret labor noster, dum quisvis hodie scit, quid sit sanguinis serum? Quidve nomine vasorum lymphaticorum veniat Lippis, ut ajunt, atque tonsoribus notum, imo notissimum est. Alioquin

B

hoc

hoc in passu, veteris recentiorisve aevi Scriptoribus physiologis & Anatomicis Celebrioribus, ex abundanti cuiusvis ignorantiae subvenire quisque potest.

### §. XIII.

Pedem, ad delineandum porro Meliceriac affectum, moturi, causam illius propriam atque immediatam rimaturi sumus. Hanc, ex suppeditata supra descriptione morbi, proque circumstantiarum perspecta ratione liquet, lymphae acrimoniam, exque hac vasorum lymphaticorum venas atque arterias circa articulos, comitantium, auralia causa quacunque provenientem aperturam, plenarie hic constituere. Haec adeoque causa, ut Meliceriam efficit, ita omnium in hac observabilium Symptomatum fertilis existit productrix.

### §. XIV.

Comperimus autem in Meliceria laesionem circa articulos, sive illa contingat ex dispositione massae sanguineae interna, sive fiat ab extra, per casum scilicet, per contusionem, per fracturam, per vulnerationem, per dislocationem, & quae sunt reliqua, quae articulis nocturno cedere possunt. Affectis hisce, ultro cernere licet profluviū seri manantis àque consortio ceterarum sanguinis partium liberati, in copia provenientis laticis. Quicquid autem hic contingit, utique adscribendum autemamus, disruptioni vasorum lymphaticorum, vel ab excessiva lymphae secretae quantitate, vel illius acredine, factae atque fabortae.

### §. XV.

## §. XV.

Neutquam enim adstipulari possumus sententiae illorum, qui omnem causam ac fundamentum Meliceriae, proximè ponunt in impedito sanguinis motu, fluidive vitalis in vasis exorta stagnatione. Verum enim verò evenit equidem, quod praeter peregrinas, quibus conspurcata est massa sanguinea, qualitates, vis partibus circa articulos extrinsecus illata, aliquando congrumationem humidi rubicundi inferre possit; ast id à nobis impetrare non possumus, quin propensè dicamus, quod ejusmodi stagnatio nil faciat ad Meliceriam, nisi ut serum ex sanguine glutinante acre factum ex parte seponat ad vasa lympham ducentia, quae postmodum sua acrimonia erodit, exitumque suum omni modo affectat.

## §. XVI.

Pariter creditu admodum est difficile, ullibi à quo piam cum veritate demonstratum iri, quod secretio lymphae, existente in vasis sanguineis obstructione, haud procedat, sed ubi extremitates ac orificia vasorum plane oclusa, ibi consequenter nullus, pro secernanda ulteriori lympha, detur exitus, unde hoc ipsum per poros & glandulas tunicarum nominatorum vasorum tanquam tenuior Nectaris vitalis pars, pervadendisque angustissimis illis viis haud inepta ubertim proruat. Pugnare fane hocce videtur assertum, tam contra autopsiam anatomicam, quam etiam manifestam motus circulatorii sanguinis activitatem. Vasa certè sanguinea, si vel obiter perpendamus, densissimae sunt texturee atque substantiae, totque irregularibus & incurvatis suarum tunicarum fibris perplexa, ut nihil serosi, è sanguine transmittere valeant. Dissudet id ipsum similiter circuitus

sanguinis, hic enim ut omnes corporis partes alluit, ita & affectas accedat, necesse est. Illic autem quando invenit stasis, progressus suo obstantem, neutiquam propterea sero secretionem penitus intermitit, verum ille vi motus sui perennis, adjutus praeprimis eo magis intestina agitatione, quaqua serum tendit, & quod illic non valet, serum ad vicina loca uberioris sequestrat.

### §. XVII.

Perfusi exinde firmiter sumus, quod lympha in abundantia copia in vasa delata, haec ipsa infarciata reddat, quo motus sanguinis praepeditur resiliens, hinc ulterius Eadem stagnat & sicuti ob quantitatem sui excessivam continuo cum impetu irruentem, ita ob consecutam est stasi acredimen, vasa disrumpi atque erodi facit. Hisce apertis diffundit se serum ad omnes articulorum adjacentes partes, dumque in parte musculosa carnosa colligitur, tendinosarum nervorumque fibrarum latifundia petit, ac continuato novo affluxu torrentis instar mirabiliter ad partes sese profundit. Hic iterum, ubi praeter solitum, ita influxum extat, nullumve sibi invenit egressum, hunc ipsum magis laborando postulat, quem insigniter promovet accedens putredo ex mora causata, quae partes morsicat, afficit, imò sensim sensimque corredit, ut humor patentes acquirat excundi fore.

### §. XVIII.

Unum adjiciendum ducimus, ubi scilicet causam ponimus hujus profluvii in sero jam in vasis abscondito, qui fiat, ut serum in Meliceriae malo non limpidum ac purum, coloris item expers, uti naturaliter asservatur, ast variae consisten-

fistentiae, ac variegati coloris extillans appareat? Ex deductis etiam levis satis ad hanc est responsio. Negari non potest, quod latex initio tenuior ac limpидior, continuato effluxu prodeat magis crassus, tinctus densior, risque substantiae. Quod enim tenuitatem & diaphaneitatem concernet, in propatulo est, quod minus adhuc sit coagulatum serum, atque dum exitum habet, inductam ante fui majorem stagnationem atque putrescentiam, limpidius ac fluidum prodire debeat. Crassitatem è contra sibi accerfit, ubi vel in yasis eandem, vel extra hanc intra partes ultra acquisierat. Quamobrem vix diu haesitandum, cur multifariae consistentiae, eliminata observetur serositas. Facilis itidem apocalypsis est variantis coloris, praeprimis dum sanguineo tintum deprehendimus serum. Quemadmodum etenim pro cuiusvis aegrotantis constitutione, his vel illis alienis permixta est particulis lympha, ita consequenter color mutatur, ad quem etiam facit conglutinatio, quae putrescentia sua humorum crasis destruit, & aliam particularum reflexionem exhibit. De cruento interium colore id notatum habemus, quod quando adeat, certissimo fit indicio, quod vasa etiam sint corrosa sanguinea, unde contenti sanguinis aliquid extravasatum, quod affectum in pessimo augmenti statu se habentem satis testificatur.

## S. XIX.

Non raro autem, sed omnium frequentissime Meliceria scaturire videtur è genibus, cuius tamen ex supra datis facilis sumenda connexio. Genua quippe, ceu ossa majora, multitudine tendinum ac magnitudine muscularorum femorula scilicet & pedum, sunt stipata. Ast quis non perspicit,

cit, quod ob majores multosque hic concurrentes musculos, qui plurimis vasis cruralibus sanguineis & consequenter lymphaticis donati, profluvium nostrum sit multo magius atque frequentius prae alio, in ceteris partibus conspicio. Paulo enim ante exposuimus, quomodo nimurum serum è vasis dimissum se fundat ad omnes partes circumiacentes, quas ubi sensibiores ac tendinosas invenit, eo proclivius ac citius saevitiam suam exerceat Meliceria. Similiter se res habet circa genua, ibi enim humor stagnans tendines multum extantes magis arrodit, cui advenit motus magnorum horum articulorum prae aliis major atq; violentior, qui copiosorem procurat novae lymphae afflumum, eumque ita intendit, ut serum hoc modo coacervatum exitum suum necessario moliri cogatur. Sic genua promptius ante alios articulos Meliceriae subjiciuntur.

## §. XX.

Comitatur inter alia Meliceriam dolor quoque saevus, immò talis, ut facile aegrotantes terribilem torturam se pati, ultro conquerantur. Rationem si inquiramus molestissimae hujus sensationis, inficiandum non est, quin lympha profluxa èque stasi acrefacta eundem prodicat. Attendamus namque dolorem in se spectatum, tum ille nihil aliud est, nisi sensatio tristis rei cuiusdam incommodae, partes corporis nervosas ingrato motu irritantis. Non autem multum haerebimus circa inventionem irritationem illam inferentis, id quippe in omni Meliceria ob oculos est, serum nimium extra vas positum. Hoc qvum acidas, salinas, acres, similesque obtineat particulas, non potest non, quin i super per stasin putrefactum tendinosas nervosasque partium

tium fibrillas lacinet atque rodat , quare facile concludendum , quod influxus motus spirituum animalium in hisce latitantium tumultuario concitetur , fibrae porro illarum partium ultra confuetum tendantur ac distrahantrur , sic autem gravis ac molestus in mente excitatur sensus dolorificus.

### §. XXI.

In cumulo Meliceriae symptomatum lustrandum se insuper fistit tumor notabilis , sibique juncta inflammatio. Atque intumescentiam facile derivandam existimamus ex profusi seri abundantis intra partes collectione & hujus stagnatione facta . Quemadmodum enim abundantia seri circiter partes subsistens illas expandit atque dilatat, unde elevatio partium externalium exsurgit , ita hanc ipsam magis auget huic superveniens scrofae conglutinatio . Tonum namque fibrarum penitus haec destruit ac humorum motui progressivo sufficiens injicit fraenum . Praepedito autem motu circulatorio ac à tergo novo jugiter accidente fluido , hoc stagnantem humorem etiam atque etiam premit , eundemque pellere annitur , hinc intestinus ipsius adauget motus , qui calorem atque rubedinem procurans , parti inflammationem inducit.

### §. XXII.

Suapte hinc afflit , ac neutquam mirandum habemus , quod febris acuta in Meliceriae morbo suam quoque haud intermitat tyrrnidem . Existente quippe causa , mox sequitur effectus . Mentionem autem injecimus , quod nimirum motus fluidi vitalis intestinus per inductam inflammationem inversus fiat & irregularis , ac quod progressi-

vus

vus non valet, hic suo aguento ac violentia tunc perficere allaboret. Ita jam ubi se prodit, testis sonitus omnino ac infallibilis omnis est febris, ille enim pulsus frequentem & celerem producit, ac cetera juxta dolenda symptomata intensissima praesertim, totum corpus torquet, incalescetia. Qui tandem aestus vires depascit, nutrimentum consumit, partes collabescere, horrendamque malorum in oeconomia humana facit catastrophen. Facile subinde fermentum est judicium de atrophia, ex diuturniori Meliceria emergente. Calor modo dictus p. n. aestus non solum vim suam hic exserit, quo totum emarcescit corpus, sed & non parum denegatur nutritiamenti partibus affeclis, partim propter jaeturam tam copiosi humidi extra promanantis, in quo multum gelatinosus simul perditum iri non est dubium; partim propter stasim quandoque sanguinis exque ea conciliatam fibrarum labefactionem, qua nutritiumentum in substantiam partis converti impeditur, unde hujus vel illius solum suboritur membra laesi necessaria aridura.

Sic singulis hisce ex causa Meliceriae proxima derivatis atque adductis, non abs re fore censemus, si adhuc dum scrutemur, unde ejusmodi erosio vasorum lymphaticorum effluxive seri proveniat acredo atq; stagnatio. Pro exequendo autem hocce negotio sub censum vocaturi sumus quaevis illa, quae disruptioni dictorum vasorum ipsiusque seri acrimoniae quomodo cunque manum sunt praebitura. Operam hinc minime vanam nos locatueros confidimus, in considerandis iis, quae vel extrinsecus, vel intrinsecus, quotidie occur-

occurrere possunt. Haec quod spectat, consideratu  
veniunt (I.) vasa lympham ducentia. Haec enim  
ubi minus rite se habent, ita ut extensionem, distorsio-  
nem, contusionem, flacciditatem, vel plane dilacera-  
tionem patientur, Meliceriae causae proximae certi ex-  
tant Autores. Illa enim ita comparata liberum reflu-  
xum per vias lymphae denegant, hinc ipsius stasis ac  
subsequens assurgit solidorum erosio, unde in copia  
esfluens se circumiacentes ad partes diffundit. (II.) Vi-  
tium quandoque insidet lymphae ipsi, dum haec vel  
qualitate peccat, vel quantitate. Serum etenim vel  
in abundantissima copia deponitur, quod vasa turgida  
reddit, illaque nimium expandendo, tam transitui  
convenienti remoram injicit, quam ruptioni pree-  
primis ansam adserit; Vel in defectu ac minori  
quantitate defertur, unde refluxus est tardior ac  
facilis sui in vasis suboritur stagnatio. Lympha  
praeterea peregrinis scatet qualitatibus, dum vel  
alias particulas heterogeneas illam confusantes  
in se continet, quibus liberior impeditur humili refluxus;  
vel acrimonia quadam affecta est, quae vasa  
irritat, vellicat ac tandem erodit, ubi causa mali  
per se patet. (III.) Ipsa massa sanguinea suum ad-  
dijicit calculum, haec enim prout in se est, variisque acri-  
bus, acidis, austerioris sexcentisque aliis reserta, ac hu-  
mido suo magis vel minus abundans, ejusmodi etiam  
lympham mediante circuitu suo eadem qualitate ac  
quantitate luxuriantem sequestrat. (IV.) Erosionem,  
hancque antecedentem lymphae conglutinationem ef-  
ficere valent morbi C. H. invadentes, ut sunt: Caco-  
chymici.

C

chymici.

20<sup>1</sup> DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA,

chymici, tam partium circa articulos, quam totius corporis spectati omnes, v. c. Scorbutus, malum hypochondriacum, obstructio, aut inflammatio partium magna, & quae sunt reliqua. Hi enim enim morbi sicuti magnum spurcitem universae inducent oeconomiae humanae, ira sane nec lymphae pareunt, eam insuper taliter affectant, ut sui coagulum ac huic supervenientem vasorum rupturam pati, cogatur. Illa est contra seu extrinsecus obvenientia, quae Meliceriae causam proximam exhibent, sunt casus omnis generis, vulnera, contusiones, fracturae, dislocationes ac quaevis alia violentia externa corpori illata. Singula etenim vas distorquent, compriment atque dissecant, quare inevitabilis subsequi debet, cum lymphae stagnatio, tum dilaceratio aut disruptio vasorum eandem continentium.

§. XXIV.

Tangimus denique causas Meliceriae remotissimas, quae modo dictorum, evidentes extant productrices. Traduntur eadem in numero sex rerum communiter sic dictarum non-naturalium, harum quippe perversa usuratio paginam utramque facit. Aer nempe, ubi spirando mediocritatem transgreditur, sive caliditatem spectas, sive ipsius frigus, ex utroque aegrotanti nocumentum cedit. Illa namque nimia sua agitatione humorum motum potenter adjuvat, ac orgasmum facile parit. Hoc autem poros occludit, transpirationem inhibet, motionemque fluidi, in partibus praeprimis affectis penitus fistit. Cibus & potus profluvio seroso foras aperiunt, si praeter excessivam quantitatem asumptam,

sumptam, qualitas insuper corundem in victu negligitur. Ut enim omne nimium naturae inimicum, ita id praeprimis de potu in casu praesenti notandum, ut pote quo superfluitati serofae ultro succurrit, ac mali incrementum promovetur. Similiter glutinosa, viscida, valde pingvia, acida item, multum consumpta alimenta, quae cras in M. S. variis qualitatibus infarciant varie que invertunt, satis superque symbolam conferuant suam. Nec desunt somnus & vigiliae; Illò enim, nisi modicè utatur, humores pariter ac serum satis apte ad coagulationem redigit, ac stasin procurat. Hisce si abutainur, aetivitati sangvineae fraenum injicimus, ubi hoc modo spiritus consumuntur, sicq; malo Meliceriae via satis sternitur. Parili ratione se habet motus & quies, corpus etenim si crebris fatigationibus exercetur, vires depascuntur, & nisi digestio bene procedat, cibi nondum satis resoluti mediantibus hisce in chylum crudum & viscidum convertuntur, siveque sanguinis qualitas sufficienter polluitur. Requies in excessu pariter spectata, prompta satis evadit visciditatum in oeconomia humana conservatrix, & liquorum stagnationum aperta progenetrix. Excernendorum & retinendorum porro habenda ratio, siquidem in proposito est, dum alvis non convenienter respondet, sanguis humanus & reliqui fluores impuritate excrementorum conspurcantur ac infestantur; E contrario dum nimis aperta, frequentiori evacuatione humores exhauriendo, Meliceriae causa esse valet. Retinenda neutiquam eliminare quis svadebit, quo enim magis spiritus animales perduntur, vel sanguis emititur, innumerabilium

.IVX. 2

C 2

lium

lium malorum emergunt primordia. Animi tandem passiones noxas suas inferre, dum eas excedimus, cuique patet. Ira namque moeror, terror & reliqua, partim motum humorum plus debito augmentant, partim progressum eorundem in vasis segniorem reddunt, unde vel nimia vasorum distensio, erosio atque ruptura, vel necessaria humorum stagnatio atque coagulum exsurgit.

## XXV.

Delibatis pro instituto nostro affectus Meliceriae causis neminem negaturum fore credimus, quod hisce superveniant & aliae causae manifestae, quaeque cuivis suapte clarent. Ad has referendos merito judicamus morbos, quibus Meliceria per se inest. Sic sunt ulcera penè omnia & präprimis cacoethica sordida, gangraena ac Sphacelus, utpote haec singula, Meliceriae diuturna ac minus secunda curatio non raro efficit.

## §. XXVI.

Considerantes ulterius profluvium nostrum respectum itidem habemus ad illius differentias. Illae autem quamvis specialiter non exhibeantur in Practicorum monumentis, expositis tamen, pathematis nostri circumstantiis, non incongruè Meliceriam divisuri sumus, in Idiopathicam seu per se existentem, quae ex sola sanguinis & lymphæ crassi provenit; Et sympathicam seu per consensum, ubi aliis supervenit affectibus, vulnerationibus präprimis & ut symptoma conspectui se exhibet.

## §. XXVII.

## §. XXVII.

Signa tandem morbi statum prasentem indigitantia, ejusve eventum revelantia, sunt vel diagnostica, vel prognostica. De Diagnosi autem vix multum laborandum erit, dum haec seri perenni profluvio, sui existentiam satis testatur. Interim pro certiori adhuc dum ipsius notione observamus simul symptomata hoc ipsum comitantia. Sunt autem, ut supra narravimus eadem intumescientia partis & inflammatio dolor gravis, febris acuta cum suis effectis, aridura membra vel contabescentia totius corporis, & quae sunt cetera, haec ubi juncta sunt profluvio nostro, sufficiens praesentis affectus perhibent testimonium. Prognosis, perpenitus genuine circumstantiarum ratione, investigatu haud magni est laboris opus. Prout enim vel graviores vel leviores easdem reperimus, ita simile ex iisdem judicium ferimus. Quo ergo serum copiosius nimis tenui, lividum, pallidum vel plane nigrum aut foetidum & acre erumpit, eo majus periculum in Meliceria portendit. Vice versa, ubi in Meliceria paucum idque plus limpidum & clarum extillat serum, hocve laudabile pus insequitur, sanitatis augur existit. Fluxus per longum durans tempus, urgente dolore, praesente insuper febre, cetera inter symptomata, parti incurabili adfert ariduram. De cetero aetatis causa, facilior medela in juvenibus benignos humores habentibus, quam in senibus siccioris constitutionis existentibus, quotidie observata est. Ulcus denique, si in Meliceria lividum appetat, exarescit, imo nigrescit, gangraena &

C 3

fpha-

sphacelo mox membrum corripitur, unde certa subsequi solet mors repentina.

### §. XXVIII.

Cognita ultimo satis superque morbi nostri in aegroto existentia, muneris est Medici in curam vocati, ut dextra remediiorum administratione pro viribus morbum cito, tuto ac jucundè pellere studeat. Quamobrem praestò ipsi sint, necesse est, auxilia cujuscunque generis, eaque tam ex Pharmacia, quam etiam ex Chirurgia atque Diaeta, maturo consilio conquista.

### §. XXIX.

Pro felici autem absolvenda curatione, prima abs dubio danda est opera, ut rite obveniamus cauac Meliceriae proximae, erosioni vasorum videlicet lymphaticorum. Praestituri id ipsum sumus, ubi depurationi M. S. studebimus, & consequenter lymphae acrimoniam heterogeneitatemque inhibebimus. Varia in hunc Scopum ex fonte pharmaceutico prostant medicamina, quae intrinsecus usurpata opem feliciter servunt. Vocabimus adeoque in usum temperantia, absorbentia, invertentia, opiate, antispasmodica & similia, quibus salsis, acribus atque austeriis humoribus, qui legitimo sanguinis circulo obstant ac sui generis serum efficiunt obveniri queat. Ejusmodi sunt (1.) ab animalibus desumpta: ut ocul. 69. Ungul. & Corn. Alc. C. C. Ust. & phil. ppt. ebur s. Δ. ppt. conch. marin. dens hippopotami. lap. perc. & carpion. mandib. luc. pisc. castor. Decoctionum item C. C. &c. (2.) Ex vegetabilibus porro:

edq;

Cen-

Centaur. min. Scorzonera, Galega, millefolium, Sar-  
saeparilla, plantago, pro conficiendis praeprimis deco-  
ctis in usum veniunt, veronica, betonica, scolopen-  
drium, alchimilla, fanicula, rad. consolid. maj. aristol.  
long. corallia rub. & alb. &c. exque his composita, ut  
sint: Elix. Alexipharm. D. P. essent. vegetab. Scorzon.  
Galeg. Centaur. min. &c. Tandem (3) è mineralium  
ordine veniunt lapid. quinque pretios. myrrha, Cinnab.  
nat. & gii, gium diaph. bezoard. miner. Jovial. &c. Hisce  
tandem maritanda opita ducimus, quae caute mista,  
non absque successu curationis inveniuntur; Sunt au-  
tem illa: Essent. anodyn. Laud. liquid. Sydenham.  
Diascord. Fracastor. Theriac. coelest. Diacod. Montan.  
aqua papav. rhoeados, emulsiō ex semin. papav. alb. &c.  
E quibus pro indigentia agricotantis ac curantis lubitu  
consarcinatae medicamentorum formulae ac deinde  
exhibitae, removendae febri, sedandis convulsionibus,  
universae denique massae sangvineae depurandae, hu-  
jusq; seruando circulo & avertendis urgentioribus mali  
symptomatibus aliis, maximo juvamini cedunt. Pur-  
gantia autem praeprimis violentiora neutquam in au-  
xilium vocanda, suadens, qvum intensiori operatione  
sua, M. S. intendant, sicque gravioribus pathematis  
nostris symptomatibus faces aperte accendent.

Sed minimopere praeterunda est ad ferendam ma-  
nuum opem in Meliceriae cura ulterius Chirurgia, ut-  
pote maximum sanationis in hac ipsa momentum pos-  
tum

tum omnino agnoscimus. Ut itaque fluxus sistatur  
serofus, ceteraque ipsius comitantia, Chirurgi officium  
postulat, ut quantocuy applicandis cataplasmatibus ma-  
num admoveat, quae autem blanda, oleosa, atque  
anodynā virtute praedita sīt, oportet. Parari possunt  
hujuscemodi ex floribus chamom. hyoscyam, melilot.  
samibuc. herb. absynth. centaur. m. sem. anet. Carv.  
bacc. laur. Juniper. Juncta camphor. eroc. & aliis,  
quae in v. flor. sambuc. & lacte coqui possunt. Si  
autem gangraena vel sphacelus metuitur, recitata mo-  
do in spiritu vini camphorato ebullienda, volunt Au-  
thores practici. Hisce interea humoris serosi praepe-  
ditur fluxus largior, partis dolor atque cruciatus miti-  
gatur, acredo etenim fluoris obtunditur, ac ceterorum  
symptomatum sensilis contingit remissio. Praecayen-  
da praeterea pars est affecta ratione nervorum tendi-  
numque laesioneis, hinc quo ob acrimoniam morda-  
cēm debilitati ac laxioris nimis facti iterum restituantur,  
ac insimul putredo humoris effluxi arceatur,  
haud frustranei usus sunt, ungventa ex therebinthina,  
gumimi elemi, vitellis ovorum, croco, melle rosarum  
aliisque composita, quorum descriptiones apud Hilda-  
num, Muy & alios peritisimos Chirurgos evolvan-  
tur. De cetero abstinere jubent accuratiores Medici,  
Chirurgum medentem, ab oleosis ac pingvibus nimis  
ungventis atque emplastris, siquidem resinosis ac vi-  
scosis suis partibus, apertos poros arcte obstruunt, unde  
sic dehengata omnimoda transpiratione insensibili tetra-  
symptomata emergunt, ut sunt: Inflammatio, hu-  
morum stagnatio, imo superveniens, nisi malo circa  
prae-

praeveniatur, sphacelus certè inducitur. Si itaque olea expressa adhibeantur, uti est, hyperici, lumborum &c. nunquam à mistis sibi volatilibus separata usurpanda erunt. Evitanda ulterius sunt emplastra acriora, ut nota habemus, Felicis Würtzii, unguentum aegyptiacum; Vitriolata insuper aluminosa & adstringentia stiptica, omnia exulent, haec enī obstruendo, illa autem irritando partes, symptomatibus recrudescentiam conciliant. Ad deligationem nil est, quod monemus, nisi ut ob aeris injuriam circumspēcte eadem tractetur. Hinc cessante necessitate, de die saepius repetitam vulneris inspectionem penitus vitrandam, cum alijs facile svasores sumus. Restat adhuc dum, ut de venae sectione quidpiam differamus. De hac itaque brevibus notatum volumus, quod praeflans satis adferat auxilium, ubi in subjectis plethoricis administratur. Hac enim superflua sanguinis portio adimitur non tantum, sed & ipsius liberior circulatio promovetur, qua stasis humorum indeque subortus dolor, dissipari potest. Postremò nec omittenda clysterum necessaria injectio, ubi enim purgantium usus pro laxanda alvo, in Meliceria interdictus est, merito ad hos refugere debet Jatralipta, qui cum sint notissimae præparationis ingredientium recensione, lubentes sup̄ersedebimus.

## §. XXXI.

Coronidem superaddit tractationi Meliceriae Diaeta ab aegroto observanda. Confert eadem ad curam feliciter finiendam, ubi & ratione constitutionis individui

D

vidui

vidui & ratione morbi, strictius paulo attenditur. Aër itaque plane fugiendus est frigidus, locoque hujus calidus eligatur, ita tamen ut nunquam mediocritatis gradus transcendat. Sit infuper purus àque omni foetore liberatus. Cibus & potus sicuti non excedat quantitatem, ita sit tenuis, bonive succi atque digestionis. Acida, falsa & leguminosa quantum possibile, eviter aeger. Motus habeatur potissima ratio, proque hoc quieti potius studeatur. Reliqua, quae in numero sex rerum non naturalium habentur, legitimè procedant, & neque in excessu, neque in defectu exerceantur, animus praeprimis aequus sive compos servetur. Sic gravissimi Meliceriae mali, subitanea declinatio, tutior causae morbificae debellatio, ac totalis tandem jucundissima omnium symptomatum certo certius insequetur sublatio. Nil sic superest, nisi pro praefito auxilio dicenda

D. L. P. A.

F I N I S.




Königsberg, Diss.) 1774/13





B.I.G.



DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA,  
DE

# MELICERIA CELSI,

Vom

BESSO-MASSER/

Quam

SUPREMO ARCHIATRO SEGUNDANTE,  
ex Suffragio  
MAGNIFICI, AMPLISSIMIq; SENATUS ACADEMICI,

## PRO LOCO

PROFESSIONIS MEDICAE GRATIOSISSIME OBENTAE  
EXTRAORDINARIO,

Publicae modestaeque Dissentientium Censurae committit

IN ACADEMIA BORUSSORUM REGIA

A. C. M DCC XVII. D. SEPTEMB.

CHRISTIANUS LUDOVICUS  
CHARISIUS, D.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO DANIELE MELTZER,  
Mednav. Boruss. Med. Studio.

REGIO MONTI, LITERIS REUSNERIANIS.

Chrysostomus Thesaurus Christianus Parisius

15